

Syllamque atque universos dominantium, praecipue  
 13 tamen perfidos et ingratos. Irasci sane rebus indignis, sed flecti cito; unde modica dilatione emolliebantur aliquando severa praecepta. Habuitque a natura,  
 14 quod Augustus a philosophiae doctore. Qui cum vidisset eum facile commoveri, ne asperum aliquid statueret, monuit, ubi irasci coepisset, quattuor atque viginti Graecas litteras memoria recenseret, ut illa concitatio, quae momenti est, mente alio traducta parvi temporis interiectu languesceret. 10

16 Melior haud dubie, quod est rarae virtutis, post auctam annis potentiam regalem multoque maxime  
 17 post civilem victoriam. Nam et annonae curam sollicitius attendere et auri argentique grande pondus sublato atque expensi a tyranno multis e suo restituere, 15  
 18 cum benigni principum et quidem vix fundos solerent nudos ac deformata praedia concedere. Iam illa minutiora et, ut dicitur, intra aulam, quae quidem, quia occulta sunt, magis naturae hominum curiosae oculos auresque ad se trahunt: patruum colere tamquam genitorem, fratris mortui sororisque liberos habere pro suis, cognatos affinesque parentis animo complecti, elegans laetumque convivium dare, non tamen sumptuosum, miscere colloquia pro personis, studia dignitatibus, sermone cum gravitate iocundo; blandus pater, 25  
 19 concors maritus. Exercebatur neque ad illecebram neque ad lassitudinem; ambulationibus magis, cum esset otium, reficiebat animum ac vescendi continentia valetudinem regebat; sicque in pace rebus humanis annum agens quinquagesimum apud Mediolanum excessit utramque rempublicam utrisque filiis, id est Arcadio et Honorio, quietam relinquens. Corpus eius eodem 30  
 20 anno Constantinopolim translatum atque sepultum est.